



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XLVII. Differentia 4. Iure Canonico usurarius manifestus non potest testari,
nisi prius præstitâ satisfactione de usuris ablatis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 4.

Iure Canonico usurarius manifestus non potest testari, nisi prius præstitit satisfactione de usuris ablatis, c. Quamquam, de usur. in 6. Sed iure civili sic videtur, to. tit. ff. & C. de testam. Institut. Quibus non est permillum facere testam. Ioann. Bapt. à S. Blasio 19.

I. **U**surarius manifestus dicitur *primò*, qui ita palam exercet artem sceneratitiam, ut ipsa facti evidentia excusari non possit. *Secundò*, qui coram sacerdote, & testibus publicè fatetur, se usurarium esse, & mandat restitui uturas. *Tertiò*, qui tanquam Usurarius à Iudice condemnatus est. *Covarr. l. 3. var. c. 3. n. 4. Iul. Clarus §. Usura. n. 15. Sylv. v. Usura, § 9 Menoch. de arbitr. Casu 235. Mascard. de prob. Concl. 1418. n. 4.*

Talibus non permitti testamentum, nisi satisfactione præstita manifestè liquet ex *c. cit. Quamquam*, quod extenditur etiam ad codicillos, *Covarr. l. 3. variat. c. 3. & donationem causâ mortis ex mente Iul. Clari §. Donatio, q. 7. Menoch. Conf. 11. n. 21. & alios apud Barbos. in c. cit. Ad Judæos quoque pertinere Tholosanus contendit l. 42. c. 8. n. 16. & ad quoslibet infideles in temporalibus Christiano Principi subiectos. *Lugo D. 24. sect. 7. n. 70.* Nam licet Ecclesiæ quoad spirituales pœnas non subdantur; quoad temporales tamen & quoad contractus civiles subiant. Sic autem non valet usurarii testamentum, ut cautio restitu-*

di uturas iniquè parras præstanda sit, vel ipso facto restitutio complenda. Quod si actu condiderit, non sortietur effectum, priusquam hæres sciverit de furata restituitione. Non enim, ut bene animadvertit *Fagundez de contr. l. 6. c. 9. n. 39* absolute à testamento faciendo arceatur, sed sub conditione, si noluerit uturas reddere, vel cautionem præstare, de solvendo & compensando damna aliis illarum adeoque non redduntur Usurarii simpliciter intestabiles, ut alii criminosis, sed conditionatè, nisi uturas malè perceptas restituant, aut de eo cautionem præstent. Nec simpliciter ea prohibitio in illis est pœna, sed Juris naturalis restitutio.

II. Quod Jus Civile attinet, cum ab illo usuræ permittantur eo modo, quæ infra *Tit. 15. diff. CCIX.* ostendimus, mirum videri non potest, si ultimæ voluntatis dispositionem in Usurariis non damnet, in illis nimirum, qui modum non excedunt: aliis nihil putem indulgeri. *V. Menoch. de arb. Casu 398.*